

ponentes separatim dicuntur *comburenda*. Cum ergo *elementa* ista mundi nec ad cœlum stricte dictum pertineant, nec ad terram, & tamen sint partes mundi integrantes, (per *Observ. I.* & hujus *Prob. membr. I.*) nihil aliud relinquitur, quam ut eo nomine cetera intelligamus corpora mundi totalia. Q. E. O.

III. Porro prædicata in textu τοῖς στοιχείοις apposita imprimis favent huic subjecto. Nempe τὰ στοιχεῖα καυσόμενα λυθίσονται, *elementa illa aestuantia, vel igne correpta dissolventur*. Dissolutio autem præsupponit compositionem ejus, quod dissolvitur, adeoque rectius quadrat in astra cœli, quæ docente Physica moderna, sunt corpora varie composita, quam in alia simpliciora, aut ex mente Peripateticorum simplicissima elementa. Quin solutio seu destructio per ignem cadere possit in sidera, eo minus dubitare licet, quo certius constat, Solis & fixarum vastissimos globos jam inde a condito mundo ardere, nihilque adeo ad ipsorum dissolutionem restare, quam ut Deus flammam liberius in viscera eorum sævire jubeat, quo incendio late per tot universum sparso, planetas quoque, perinde ac terram, corripere & exuri necessum erit. Quando igitur (per *Axioma nostrum*) talia sunt subjecta, qualia permittuntur esse a suis prædicatis, nihil impedit, quo minus h. l. per elementa mundi intelligamus cœli sidera.

Scholium I.

Quodsi etiamnum cuiquam durum videbitur, stellas appellare mundi elementa, adeat quæso ille *Hammondi & Clerici* annotat. ad h. l. p. 399. nec non *Æg. Menagium* ad *Diog. Laërtii* Lib. VI. §. 102. ubi loca bene multa ex Patribus Græcis, *Justino Martyre, Epiphano, Eusebio, Chrysostomo* &c. ex versione Chaldaica Lib. Sap. & Rabbiniis, ex variis denique scriptoribus profanis, vel citata extant, vel excerpta, quæ voce στοιχεῖα frequenter apud Græcos significari Planetas & Signa Zodiaci ostendunt. Nobis haud visum est, ea transcribere huc e libris passim obviis. Ceterum ex his etiam tot auctorum suffragiis